



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis

Musart, Charles

Monachii, 1654

I. In Dignitate, & Onere pastoralis est necessaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

CAPVT II.

Sit humilis.

NVM: I.

*In animarum Pastore humilitas in-
primis necessaria.*

VEstes, quibus Mosaici Sacerdo-
tes induebantur, varii erant
coloris, tunica verò, quæ superindu-
cebatur, ad talos vsque prominebat:
vt ex vestitu intelligerent, à se pro-
priè requiri omnem iustitiam, id est,
omnium virtutum inter se complexa-
rum vario, eoque pulcherrimo orna-
tu animi præstantem. Quod multò
magis ad nouæ legis Sacerdotes, mul-
tò etiam maximè ad eos, qui in ani-
marum curâ aliis præsunt, traduci
debet. Sed tamen sunt in amplissimo
illo virtutum numero nonnullæ, quæ
ob singularem causam in pastorali
munere præ reliquis desiderantur,
atq; in primis eximia quædam Humi-
litas,

litas virtus ceterarum parens, altrix, custos. Primò enim cùm Christi gregem pascere de se munus sit præclarum, atq; eminens; nihil pronius est, quàm animum plus æquo efferri, nisi Humilitas intra modum hominem, contineat, quare magnos monet Scriptura : *Quantò maiores, humilia te in omnibus.* Præterea cùm hic honos onus sit admodum graue, humanisque viribus impar, & periculosum, præsertim adhuc inexpertis, exquirendus est singularis Dei fauor, quo pares animi, virésque suppeditentur : atqui ex sacris literis, & plurimis historiis constat, nihil ita ad id conferre, atque egregiam animi demissionem : ideo idem Sapiens, cùm monuisset : *Humilia te in omnibus*, subiunxit, *& coram Deo inuenies gratiam*; mirum enim quantum suprema illa Maiestas consentiat humilibus, & contrà superbis resistat. Contuere vno quasi aspectu omnem præteritorum temporum histori-

storiā reperies DEVM hunc semper lusum in orbe terrarum lusisse;

Exaltare humiles, & debellare superbos.

Sint instar omnium duo pastores Saul, David: ille, quòd superbè egisset, regno, & vitâ excidit: hic, quòd paruulus esset in oculis suis, caput in tribubus Israël effectus est: quanquam nihil opus veteribus exemplis, abundamus eorum partim, qui cùm se demissè in curâ animarum gessissent, ad summos Ecclesiasticorum honorum gradus euecti sunt, partim, qui ex humili nonnunquam loco ad sublime animarum regimen elati, quòd se insolentiùs efferrent, eò grauiori casu DEO ultore corruerint, quò altiùs conscenderant.

N V M: II.

De Modestia.

HVMilitatis filia, aut cognata est Modestia, cujus enim animo insederit humilitas, modestiam mox parit,